



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

I. De eunuchis qui seipsos abscindunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

CAPITVLA.

I.

SI quis per languorem a medicis sectus est, aut a barbaris abscissus est, iste remaneat in clero. Si quis autem sanus se abscidit, istum & in clero positum abstinere oportet, & de cetero nullum talium debere promoueri. Sicut autem hoc manifestum est, quia de his qui hanc rem excogitant, audentque seipsum abscindere, dictum sit: sic eos, qui a barbaris aut a dominis castrati sunt, inueniuntur autem alias digni, tales ad clerum applicat Canon.

Dist. 55.
 Si quis a medicis. & in Decr. Iuo. lib. 3.

II.

Quia multa aut necessitate, aut aliter, cogentibus hominibus, facta sunt contra Canonem ecclesiasticum, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, & in paruo tempore catechizati, statim ad spirituale lauacrum ducantur, & simul, cum baptizati fuerint, promoueantur ad episcopatum, aut ad presbyterium, placuit, de cetero nihil tale fieri. Nam & tempore opus est ei qui catechizatur, & post baptismum approbatio amplior. Manifesta est enim apostolica scriptura, quæ dicit: *Non neophytum, ne forte in superbiam elatus, in iudicium incidat & laqueum diaboli.* Si autem, procedente tempore, aliquod animi peccatum inueniatur circa huiusmodi personam, & conuincatur a duobus aut tribus testibus, ipse cesset a clero. Si quis autem præter hæc facit, quasi aduersus magnum Concilium se efferens, ipse periclitabitur de clero.

Dist. 48.
 Quoniam multa sunt sin.

1. Tim. 3.